



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Magvntino, Episcopo Sabinensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

534 Epistolarum Innocentij III.

apostolicam benedictionem. Significavit nobis venerabilis frater noster Pennensis Episcopus quod non sibi de decimis, & mortuaris, oblationibus, & aliis justitiis respondetis. Quia vero fratres copiscopos nostros specialiter volumus in suo jure tueri, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus & districte præcipimus quatenus ei sicut diocesano vestro de decimis, mortuaris, oblationibus, & de universis justitiis episcopali bus, sicut canonica fancit auctoritas, cures sine diminutione qualibet responderem, nonobstante si ea sibi vel prædecessoribus ejus aliquando per laicalem potentiam subtraxisti. In causis etiam matrimonialibus, pœnitentiis homicidiorum & oppressionum insontium, & in aliis etiam quæ præter ipsius fieri auctoritatem non habent episcopalem, vobis jurisdictionem nullatenus usurpetis. Alioquin sententiam quam propter hoc in vos rationabiliter tulerit, faciemus auctore Domino rationabiliter observari. Datum Laterani Idib. Martij, pontificatus nostri anno secundo.

ILDEBRANDO EPISCOPO Vulterrano.

*Epist. 191.
De confirmatione privilegiorum.*

*suprà lib. 1.
epist. 537. remissimus lectorem
ad epist. 191. libri secundi. Sed
arratum est in numero. Vide
infra epist. 199. & seq.*

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Ildebrando Vulterrano Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Quæ ad Ecclesiastarum augmentum à Principibus secularibus aut viris ecclesiasticis indulgentur, gratanter admittimus, & gratis apostolice sedis præsidio communimus. Quod circa te ac Ecclesiam Vulterranaam tanto libenter adimplemus, quanto te nobis & Ecclesia Romanæ fideliorum invenimus, & in pluribus tuam sumus devotionem experti. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precib⁹ annuentes, libertates, imunitates, dignitates, & jurisdictiones tibi & Ecclesia Vulterranensi à Principibus sive à quibuscumque personis ecclesiasticis vel secularibus provida deliberatione concessas ratas esse decernimus, & mandamus in posterum inviolabiliter observari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noviter incursurum. Datum Laterani IX.

Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

WILLELMO DE BIERIA Presbytero.

*Epist. 192.
Recipitur sub protectione a potestate.*
*Vida Stephanus.
Tornac. epist. 176.*

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio W. de Bieria Presbytero salutem & apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiū diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tanquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecte in Domino fili, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quæ in praesentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Ecclesiam de Franchart, cum decimis, redditibus, censu, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Laterani IIII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno secundo.

ARCHIEPISCOPO MAGNTINO, Episcopo Sabinensi.

*Epist. 193.
De ecclesiæ Imperatoriis.*

S Olidata in devotione sedis apostolicae fides tua, & in obsequio ejus probata tempore juventutis, non deficiet, immo proficit fortius in ætate matura; nec frigescet etiam frigescente corpore, sed de die in diem amplius incalescet. Qui enim, cum Petri quondam navicula jaçaretur fluctibus, & venti & mare insurgerent contra eam, ita ut nunc de scopulosis fluctibus pendere videretur in præceps, nunc inter intumescentes undas, imas formidaret arenas, cum Reges terræ ac Principes astitissent in unum adversus eam & Christum ejus, illi fideliter & inseparabiliter adhæsisti, pro ea in mortem & in careerem ire paratus, nec minas Principis nec latentes insidias nec proprium exilium expavescens, jam nunc, cum cadentibus fluctibus & vento spirante proprio aquora noscitur sulcare pacata, & Petrus veteri timore depo-

Romani Pontificis Lib. II. 535

sito super undas maris incedat, quis te poterit à caritate sedis apostólica separare? Sanè nec persecutio, nec gladius, nec famae, nec aliud te ab Ecclesiā devotione divellet, in qua post Summum Pontificem locum nosceris præcipuum obtainere. Fortis est enim ut mors dilectio, & dura sicut infernus est æmulatio, nec aquæ multæ possunt extinguere caritatem. Vnde cùm inter ceteros fratres nostros apud nos primus existas, licet à nobis, et si non mente, corpore tamen multo sis spatio separatus, in arduis tamen negotiis quæ nobis incumbunt, tuo uti volumus consilio & favore. Noveris igitur, immo jam nosti, quod post Henrici quondam Imperatoris deceßum vota se Principum divisorunt, ita quod quidam eorum Othonem H. quondam Ducis Saxoniæ filium, quidam verò Philippum quondam fratrem dicti Henrici Imperatoris nominarunt in Regem. Venerabilis autem frater noster Coloniensis Archiepiscopus, & alij qui in nominatione prædicti Othonis favorem præstiterant & assensum, congregato exercitu obfederunt pariter Aquisgranum, & eo capto, prædicto Othoni in sede posito augustali dictus Archiepiscopus regni coronam imposuit, sicut ad ipsum de jure dicitur pertinere: qui in die electionis suæ apud Coloniam de conservando jure Romanæ Ecclesia & aliarum etiam Ecclesiarum per seipsum præstitit juramentum, & postmodum etiam se astrinxit iuratoria cautione quod Ecclesiæ & Princibus, quæ dicti Imperatores injustè abstulerunt, restitueret universa; pravam etiam consuetudinem relaxavit, per quam ijdem Imperatores bona ecclesiasticorum Principum decedentium occupabant. Dictus verò Philippus, & qui cum nominarunt Regem, venerabilem fratrem nostrum Tarantasiensem Episcopum vocaverunt, qui regalem impofuit eidem Philippo coronam. Et licet ipsi duo, Philippus scilicet & Otho, semel & iterum inter se invicem dimicarint, neuter tamen plenam victoriam est adeptus. Nos autem, qui non ad destructionem Imperij, sicut quidam pestilentes homines mentiuntur, intendimus, sed ad conservationem & provisionem ipsius potius aspiramus, cùm et si quidam Imperatores persecuti fuerint Ecclesiā, alij tamen multipliciter honorarunt, expectavimus hactenus, & in neutram par-

tem voluimus declinare, licet uterque defavore nostro & benevolentia glorieatur, expectantes si forsan Principes redirent ad cor, & Imperio super tantæ dissensionis incommodo providerent. Sed quidam eorum adhuc insua obstinatione persistunt, & non minus quam nominati prædicti partem quam fovent, justè vel injustè tuentur. Ex quo spoliantur Ecclesiæ, pauperes opprimuntur, strages corporum provenit, & periculum animarum. Cùm igitur non expediat de cetero populo Christiano, nec nobis etiam dissimilare incommoda tantæ dissensionis sit tutum, tibi facti seriem duximus intimandum; ut cùm non tam Maguntinensis archiepiscopatus quam Sabinen. episcopatus consideratione post Romanum Pontificem maximum Ecclesiæ Dei membrum existas, in tam arduo negotio favorem tuum habeamus pariter & assensum. Quia verò necessitates terræ orientalis, & quid ei expediatur, pleniùs cognovisti, super mora vel redditu tuo fraternitati tuæ nihil expressè mandamus, quam credimus id acturam quod magis viderit expedire. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus cùm huic tractatu non possis personaliter interessere, arbitrium tuum nobis per literas tuas apertas committas, ratum habiturus & firmum quod in tanto negotio, prout Dominus nobis dignatus fuerit inspirare, ac de fratum nostrorum consilio & voluntate processerit, statuemus. Universis etiam Officiis tuis, Canonicis, Prælatis, Comitibus, Baronibus, & aliis tibi & Ecclesiæ Maguntinensi subjectis per literas tuas districte præcipiendas ut eum cuius nominatione per fidem fuerit apostolicam approbata, in Regem recipient, & partem ejus potenter foveant & viriliter tueantur. Credimus enim quod sic dante Domino in hoc negotio procedemus, quod Deo & hominibus erit acceptum, & apud Deum meritum & apud homines ex hoc gloriam consequemur. Tuum etiam & tuorum profectum pariter & honorem in ipso negotio diligenter curabimus studio promovere. Nec erit de facili qui se statutis nostris opponat, si tuus nobis suffragetur assensus, & devotio tuorum accedit; cùm & tanta sit per Dei gratiam apostolica sedis auctoritas, ut quasi certum ab omnibus habeatur quod ille præ-

536 Epistolarum Innocentij III.

valebit omnino cui suum dignata fuerit favorem præstare. Datum Laterani V.
Nonas Maij , pontificatus nostri anno secundo.

*V N I V E R S I T A M E C C L E S I A S T I C I S
quām secularibus Principibus
Alemannie.*

*Epist. 294.
De codem ar-
gumento.*

Q Vanta debeat esse concordia inter regnum & sacerdotium , in seipso Christus ostendit , qui est Rex Regum & dominus dominantium , Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech , qui & secundum naturam carnis assumptæ de sacerdotali pariter & regali stirpe descendit. Ad quod etiam delignandum beatissimus Petrus ad fidem Christi conversis dicebat: *Vos esis genus electum , regale sacerdotium.* Et ad Christum in Apocalypsi clamatur: *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotium.* Hæc enim sunt duo Cherubin , qui versis vultibus in propitiatorium , super ipsum duabus alis conjunctis mutuo se describuntur respicere. Hæc sunt duas mirabiles & speciosæ columnæ positæ juxta ostium in vestibulo templi , quas ambit linea duodecim cubitorum. Hæc sunt duo magna luminaria , quæ Deus in firmando memento celi constituit ; luminae maius, ut præcesset diei , & luminae minus, ut nocti præcesset. Iste sunt duo gladij de quibus Apostoli responderunt : *Ecce gladij duo hic.* Quorum omnium rationem aliquumque multorum quæ de sacris libris excerpta concordiam expressè significant inter Ecclesiam & Imperium , expnere prætermittimus , cùm utilitas ex ipsa proveniens expressius hanc expnatur. Per hanc enim concordiam propagatur fides , hæresis confutatur , plantantur virtutes , virtus succiduntur , servatur justitia , iniquitas propulsatur , viget tranquillitas , persecutio conquiescit , cum pace populi Christiani paganorum barbaries subjugatur , cum incremento Imperij Ecclesiæ libertas accrescit , cum incolumitate corporum salus proficit animalium , & tam Clero quām populo sua iura servantur. Et licet Romanam Ecclesiam quasi matrem universa regna respiciant in quibus nomen colitur Christianum , Romanum tamen Imperium eam arctius debet ac devotius amplexari , ut & ipsa per illud accipiat defensionis auxilium , & illud per ipsam in suis necessitatibus adjuvetur. Ille vero qui paci sem-

per invidet & quieti , sicut Romanam tunc divisit Ecclesiam , ita nunc Romanum divisit Imperium , & tantam inter vos discordiam seminavit , ut duos vobis in Reges præsumperitis nominare , quibus inter vos ipsos divisi pertinaciter adhæretis , non attendentes quot & quanta discrimina per hoc non solum Romano contingent Imperio , sed universo proveniant populo Christiano. Et ecce per hujus dissensionis materiam Imperij libertas minuitur , jura depereunt , & dignitas decurtatur , destruuntur Ecclesiæ , lœduntur pauperes , Principes opprimuntur , universa terra vastatur , & quod est longe deterius , strages corporum imminent & periculum animalium. Ex hoc etiam inimici fidei Christianæ non modicam audaciam contra fideles assumunt. Nos igitur hujusmodi auditis & cognitis , tacti fuimus dolore cordis intrinseco , & nimio merore turbati ; quia non , ut quidam pestilentes homines mentiuntur , ad Imperij destructionem vel depressionem intendimus , sed ad conservationem & exaltationem ipsius potius aspiramus ; cùm et si quidam Imperatores Ecclesiam vehementer affligerunt , alij tamen eam multipliciter honorarunt. Expectantes autem hactenus expectavimus si forte vos ipsi saniori ducti consilio , tantis malis finem imponere curaretis , videlicet ad nostrum recurreretis auxilium , ut per nos , ad quos ipsum negotium principaliiter & finaliter noscitur pertinere , vestro studio medianre tanta dissensio sopiretur. Verum quia vos in hac parte negligentes & desides hactenus extitistis , nos , qui juxta verbum propheticum constituti sumus à Deo super gentes & regna , ut evellamus & destruamus , ædificemus etiam & plantemus , officij nostri debitum exequi cupientes , universitatem vestram monemus attentiū & exhortamur in Domino , per apostolica scripta mandantes , quatenus Dei timorem habentes præ oculis , & honorem zelantes Imperij , ne libertas ejus depereat , & dignitas annulleatur , ad provisionem ipsius melius intendatis ; ne fovento discordiam , per vos imperialis sublimitas destruatur , quæ per vestrum deberet studium conservari. Alioquin quia mora de cerero trahit ad se grave periculum , nos quod expedire noverimus procurantes , ei curabimus favorem apostolicum impetriri quem credemus majoribus studiis & meritis

*Vide lib. i.
epist. 401. &
cap. Solite. de
major. & obe-
dientia.*